

modo aliunde probari possit, id quod praeiudicio confirmat STRYCK *Caut. Test. loc. cit.* §. 47.

XVII.

Nec etiam pro scripto testamento erit habendum, quod testator in scripturam antea redegit, et ex hac postmodum testibus in actu testandi palam praelegit. Heres enim et legatarii palam fuerunt designati, et voluntas testatoris coram testibus nuncupata, id quod sufficit ad testamentum nuncupativum *per §. fin. I. de Testam. ordin. L. 21. §. 2. L. 26. C. de Test. R. I. d. a. 1512. Tit. II. von Testamenten §. 8.* Si enim testamentum oretenus et sine scriptura nuncupare, et testibus communicare potest testator, ad hunc effectum, ut valeat tale testamentum tamquam nuncupativum absque vlla scripturae sollemnitate, quare non eodem iure valeret, si testator antea, melioris ordinis gratia, in chartam coniecisset, atque ex hac testibus palam eandem praelegerit? Ut enim testator testamentum nuncupativum memoriter testibus debeat recitare, id nulla lege desideratur. Dubium ergo haud est, tale etiam testamentum, ut scriptura comprehensum, revera esse nuncupativum, et sic vel ex hoc capite claudicare vulgares testamenti scripti definitiones, quod scriptum testamentum sit id, quod in scriptis fiat, quodque scriptura comprehendatur.

XVIII.

Nescio autem, an magis sit probanda definitio aliorum, quando testamentum scriptum definiunt per id, quod in scriptis sollemniter conditur. LAUTERBACH.
Comp.